410 Codicis Lib. X. Tit. VII. VIII. IX. X. XI.

TIT. VII.
POENIS [1] FISCALIBUS CREDITORES PRÆFERRI.

Perſecutio pœnæ præfertur quando pœna additur per nomina multiplicativa, in dubio ineſt ſimplum. Bald.

1. Imp. ALEXANDER [2] A. Marcello.

REm [3] ſuam perſequentibus pœnæ exactio poſtponitur. Sicut itaque in ſortis quantitate fiſci perſecutio potior eſt: ita in triplo [4] quod pœnæ nomine adjectum eſt, propria forma ſervanda [5] eſt. PP. Kal. Jul. JULIANO, & CRISPINO CONSS. 225.

TIT. VIII.
DE FISCALIBUS USURIS.

Ex mora pœnæ non accedunt uſuræ. Bald.

1. Imp. ANTONINUS A. Antiocho [6].

EJus ſummæ, quam tibi pœnæ [7] nomine inflictam probaturus es, uſuræ non exigentur. Nec [8] enim multam tibi procurator meus [9] irrogavit ultra [10] quam placitum eſt, ſed pœnam [11] te juſſit inferre. PP. 15. Kal. Decembr. SABINO, & ANULINO CONSS. 217.

Fiſcus qui ſuccedit in locum privati, utitur jure privati. Bart.

2. Imp. ALEX. A. Victorino [12].

SI ſub pignore [13] creditum fuit, etiam [14] fiſcum, qui ſucceſſit [15] in locum debitoris, uſuras [16] præſtare oportet, ſi eas dependi ſaltem [17] pacto placuit. PP. 3. Non. Septembr. JULIANO, & CRISPINO CONSS. 225.

Fiſcus non poteſt ſtipulari uſuras ultra legitimum modum uſurarum: nec jam ab alio ſtipulatas exigere. Bart.

3. Imp. JUSTIN. A. Mennæ P. P.

FIſcum etiam noſtrum parere ſanctioni noſtri numinis jubemus: per quam usque [18] ad dimidiam centeſimæ uſuras ſtipulari creditoribus exceptis [19] certis perſonis, permiſimus: ut ipſe [20] etiam fiſcus ultra dimidiam centeſimæ partem a debitoribus ſuis minime exigat: ſive principaliter ei promiſerunt: ſive a prioribus ſuis creditoribus actiones ad eum quocunque modo devolutæ ſunt. Dat. 8. Idus April. CP. DECIO V. C. CONS. 529.

TIT. IX.
DE SENTENTIIS ADVERSUS FISCUM LATIS RETRACTANDIS.

1. Imp. ANTON. [21] Acutiano [22].

CAuſas, in quibus contra fiſcum judicatum eſt, intra triennium [23] retractari poſſe, & poſt id tempus, ſi prævaricatio [24] arguatur, vel manifeſta fraus probetur, notum eſt. PP. Non. Jul. DUOBUS & ASPRIS CONSS. 213.

TIT. X.
DE BONIS VACANTIBUS [25], ET DE INCORPORATIONE [26].

Etiam ex privilegio civitates non ſuccedunt in bonis vacantibus: & ſi occupaverint, ab eis auferuntur. Bart.

1. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. ad Eucharium [27].

SCire debet gravitas tua inteſtatorum [28] res qui ſine legitimo herede deceſſerint, fiſci noſtri rationibus vindicandas: nec civitates audiendas, quæ ſibi earum vindicandarum jus veluti [29] ex permiſſu vindicare nituntur: & deinceps quæcunque inteſtatorum bona civitatibus obtentu privilegiorum [30] ſuorum occupata eſſe compereris, ad officium [31] noſtrum eadem revocare non dubites. Dat. prid. Id. April. ANNIBAL. & ASCLEPIODOTO CONSS. 292.

Si res conceditur integro ſtatu per principem: intelligitur cum pertinentiis, & cum jure ſuo, & omnibus fructibus, & mancipiis, quæ in ea ſunt. Bart.

2. Imp. CONSTANT. A. ad Æmilium V. P. Rationalem [32] rei privatæ.

SI quando adnotationes noſtræ contineant *poſſeſſionem, ſive domum quam* [33] *donaverimus, integro* [34] *ſtatu donatam:* hoc verbo ea vis continebitur, quam ante ſcribebamus, *cum adjacentibus* [35] *& mancipiis, & pecoribus, & fructibus, & omni jure ſuo:* ut ea quæ ad inſtructum poſſeſſionis, vel domus pertinent, tradenda ſint. Dat. 6. Id. Mart. *Mediolani*, CONSTANT. A. III. & LICINIO CONSS. 313.

3. Imppp. VALENT. VALENS & GRAT. AAA. ad Florentium Com. rerum privat. [36].

SI quando, aut alicujus publicatione, aut ratione [37] juris aliquid rei noſtræ addendum eſt, rite, atque ſolenniter per Comitem rerum privatarum, deinde [per [38]] Rationales in ſingulis quibusque provinciis commorantes incorporatio impleatur: & diligens ſtylus [39] ſigillatim omnia adſcribat: tituli [40] vero quorum adjectione prædia noſtris ſunt conſecranda ſubſtantiis [41], nonniſi publica teſtificatione proponantur: graviſſimis ſtatim ſubdendis ſuppliciis, qui hujusmodi aliquid propria uſurpatione tentaverint. Dat. 4. Kal. April. VALENTINIANO NB. P. & VICTORE CONSS.

4. Impp. HONOR. & THEOD. AA. & CONSTANT. A. Palladio P. P. [42].

VAcantia [43] mortuorum bona tunc ad fiſcum jubemus transferri, ſi nullum ex qualibet ſanguinis [44] linea, vel juris [45] titulo legitimum reliquerit inteſtatus heredem. Dat. 8. Id. Jul. *Ravennæ*, EUSTATH. & AGRICOLA CONSS. 421.

5. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Hierocrati [46] Com. rerum privatar. [47].

SI vacantia, vel alio modo bona delata legibus ad ærarium perhibeantur, certi palatini [48] electi, & jurejurando obſtricti [mittantur [49]], ut eorum inſtantia præſes provinciæ præſente fiſci patrono diligenter inquirat, cujus vacans [50], cadensque [51] fuerit patrimonium, quantumque, vel quale videatur: ut quum [52] data reclamandi [53] copia, nullum id [vel [54]] jure poſſidere, vel vindicare conſtiterit, locumque ærario factum eſſe, tam ipſius relatione, quam publicorum monumentorum fide conſtiterit, rerum nobis notitia [55] intimetur: ut juſſu noſtro vacantia, vel aliæ res [56] nomine occupentur [57] ærarii: Quæ forma [58] etiam in parte bonorum, vel in una, alterave re, ſeu actione una, vel etiam pluribus ſervetur. Nam ſi quid per fraudem in diſpendium ærarii fuerit admiſſum, miſſi quidem executores non evitabunt indignationem: præſes autem facultatum parte dimidia multabitur: fiſci vero patronus detrimentum, quod [pro [59]] vitio ejus fiſco [60] ingeritur, reſarcire urgebitur. Datum 7. Idus Octobr. *Conſtantinop.* Dn. THEOD. A. XV. [61] & qui fuerit nunciatus CONS. 435.

TIT. XI.
DE [62] DELATORIBUS [63].

Si relinquitur tacite capaci, non defertur in fiſcum. Bart.

1. Imp. ALEXANDER A. Baſſo [64].

SI ei, qui capere poteſt, tacitum fideicommiſſum relictum eſt, ceſ-

1 *l.* 11. *l.* 17. *ff. de jure fiſci.* 2 Sic reſtituimus, cum antea perperam legeretur, *Antoninus.* Cont. 3 Fiſcus pecuniam ſuam repetens, omnibus præfertur: pœnam vero perſequens, creditoribus cedit in eo, quod multæ nomine petitur. *Syn. ib. cap.* 13. Goth. *l. in ſumma. l. quod placuit. l. Statius.* §. *ult. ff. de jure fiſci.* Mod. 4 Vide quæ ſcripſi ad *l.* 45. §. 13. *ff. de jure fiſci.* 5 Al. *ferenda.* 6 Anticho. 7 Uſura pœnæ inflictæ ex contractu, delicto, vel quaſi, exigi non poteſt. *l. ult. ff. de magiſtr. conveniend.* multæ poteſt, ſi intra tempora judicati non ſolvatur. Cur tam varie? Pœna pœnæ eſſe non debet. Si uſura pœnæ admitteretur, pœna pœnæ eſſet, nihil enim aliud uſura, quam pœna non ſolventis. *l. cum quidam.* 17. §. *ſi pupillo.* 3. *ff. de uſuris.* 8 Corrigit Imperator errorem proponentis in libello multam pro pœna. *Cujac.* 9 Noſter. 10 Curatori Cæſaris multæ dictio non eſt. *l.* 2. ℭ. *de modo multarum.* 11 Procurator Cæſaris pœnam infligere poteſt legibus definitam. 12 Victorio. 13 Uſuræ per retentionem pignoris ſervantur, quæ non ſervarentur pacto, niſi pignus interveniſſet. *l. quamvis.* 3. *l. per retentionem.* 4. *l. pignoribus.* 22. ℭ. *de uſuris.* 14 Extenſio juris in privato conſtituti ad fiſcum. 15 Heredis perſona jus non mutatur. *l.* 2. §. *ex his.* 2. *ff. de verb. oblig.* 16 Fiſcus ſuccedens privato, eas uſuras præſtat, quas creditor a privato potuiſſet exigere ex pacto nudo pignori adjecto. Ut privatus debitor eas uſuras præſtat, ita & fiſcus ſuccedens privato. Multo igitur magis uſuras ſtipulatione debitas a Titio creditore, fiſcus Titio ſuccedens præſtabit. 17 Uſuras ex pacto nemo regulariter præſtat, ſed ex ſtipulatione, ſi tamen in eas uſuras, quæ pacto tantum promiſſæ, pignus acceperit, retentione pignoris uſuras ſervabat, quas pacto non ſervaſſet. 18 Uſuras majores ſemiſſibus nemo regulariter ſtipulari poterit. 19 Uſuras ab agricolis & illuſtribus trientes: ab argentariis beſſes: ab Eccleſiis quadrantes ſtipulari poſſumus. *l. eos.* 26. ℭ. *de uſuris.* 20 Uſuras majores ſemiſſibus fiſcus exigere a ſuis debitoribus non poteſt: ſive ipſe fiſcus nominatim eas ſtipulatus ſit, ſive creditoribus debitoris ſucceſſerit: adeo ut ſemiſſes etiam conſequatur, etiamſi ei creditori ſucceſſerit, qui leviores ſemiſſibus ſtipulatus ſit. adde *l.* 1. *in fin.* ℭ. *de his quibus ut indign. l.* 17. §. *ſi debitores.* 6. *ff. de uſuris. l.* 6. *ff. de jure fiſci.* 21 Sic repoſuimus, cum antea legeretur, *Alexander.* Contius. 22 Ariſtæo. 23 Fiſcales cauſæ judicatæ, ex cauſa retractari poſſunt intra triennium: poſt triennium vero, ſi prævaricatio, vel manifeſta fraus arguatur. *l.* 1. *ff. de jure fiſci.* aut repertum inſtrumentum amiſſum. *l. Imperatores.* 35. *ff. de re judicata.* aut teſtes: parem enim vim illa duo obtinent. *l. in exercendis.* 15. ℭ. *de fide inſtrum.* & inſtrumentorum appellatione teſtes continentur. *l.* 1. *D. de fide inſtrum. l. notionem.* 99. §. *inſtrumentorum. ff. de verb. ſign.* 24 *l.* 10. *ff. de diverſis temporalibus præſcript. l.* 1. *ff. de jure fiſci.*

25 *Vacantia bona,* ἀκληρονόμητα, eorum, qui heredes non habent, quæ ideo ad fiſcum pertinent. *l.* 96. §. 1. *ff. de leg.* 1. adde *L.* 10. *C. Theod.* 8. 26 *Incorporare* eſt in fiſci corpus redigere. Ammianus 16. *adcorporare* dixit: quod fit ſolenniter ex diſpoſitione Comitis rerum privatarum, & Catholicorum ſumma cura deſcriptis bonis omnibus & titulis publice adfixis. *l.* 2. ℑ. *de aquæduct. lib.* 11. *tit.* 42. adde *L.* 10. *C. Theod.* 9. 27 Scrioni, *al.* Rationali. 28 Inteſtatorum bona & eorum, qui nullos heredes habent, ad fiſcum pertinent. Nec enim civitatibus licet eorum bona vindicare. Quin & ſi quæ civitates obtentu ſui juris eas occupaverint, ab eisdem vindicentur. *Synopſ. Baſil.* 56. *tit.* 13. περὶ τοῦ δημοσίου *ex tit.* 6. *c.* 10. & breviter, Vacantia bona fiſco cedunt, non civitatibus: etiamſi ſe hoc privilegio donatas contendant. 29 Quod Nicenſes ſibi conceſſum ab Auguſto, ſub Trajano contendebant. Plin. 10. *epiſt.* 87. 88. 30 Privilegio impetrari non poteſt jus occupandorum bonorum vacantium. 31 Legendum *fiſcum: ut in vet. Cont.* Sed officium hic, nihil aliud quam fiſcus: *l. pen.* ℑ. *de præpoſit. ſacri cubic. lib.* 12. *tit.* 5. *l.* 96. §. *quoties. ff. de leg.* 1. 32 *C. Theod. l.* 1. *hoc tit. lib.* 10. 33 *Subaud.* vacantem, alioqui enim nihil faceret hæc lex ad titulum. *Mod.* 34 Ὁλοκλήρως, id eſt, inſtructa, ut *l. Seia.* 20. *in fin. l. prædia.* 27. §. *ita.* 4. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* integro ſtatu res donata a principe, intelligitur donata cum adjacentibus, mancipiis, pecoribus, fructibus, & omni jure ſuo, ut *l.* 20. *in fin. D. de inſtr.* Dubitandi ratio eſt a natura jureque ſtricto donationum.. *l. cum de indebito.* 25. *in fin. ff. de probat. l. ſi quis argentum.* 35. §. *ſin autem.* 3. ℭ. *de don. arg.* §. *in bonæ fidei,* 30. *Inſt. de act.* Deciſio vero eſt a latiſſima beneficiorum principis interpretatione. *l. penult. D. de conſt. princ.* unde notant, Caſtro a principe donato, jurisdictionem omnem, ac merum imperium donatum intelligi. vide Bart. *in l.* 1. §. 1. *ff. de off. præf. urb.* Mobilia per ſe in feudum certe non dari, ſed una cum re immobili notat Bellovifanus & Laudenſis 1. *Feud.* 1. *in fin.* 35 Adjacentium appellatione ea continentur, quæ extra quidem ſunt poſita: cohærent tamen. 36 *C. Theod. lib.* 10. *tit.* 9. *l.* 1. 37 Ex legibus caducis. 38 Deeſt *in Cod. Theod.* 39 *l.* 5. ℑ. *h. t.* 40 Titulos adfigere prædiis, nomine principum, redactis, aut redigendis in fiſcum, judicum eſt, *ut hic, l.* 2. ℑ. *de aquæduct. l.* 11. *tit.* 42. *l. ult. D. de requir. reis, l.* 10. & 20. *C. Theod. de bonis proſcript.* non privatorum procuratorum, actorum conductorumve prædiorum principalium. *Nov. Tiberii de domib.* & ℭ. *tit. ut nemo privatus titulos prædiis.* 41 *Nominibus,* in *C. Theod.* 42 *C. Theod. lib.* 10. *tit.* 10. *l.* 30. *pars l. ult.* ℭ. *de jure fiſci.* 43 *Caduca, in C. Theod.* quem vide, multa enim ſunt hic mutata. 44 Sanguinis linea nihil aliud eſt, quam cognationis jus, *Goth.* Non agnationis, *l. qui in adoptionem. ff. de adoption. l. jura. ff. de diverſ. reg. jur.* Ut tamen cognatio interdum generaliter accipitur, ſic & ſanguis. *Ex qualibet* igitur *ſanguinis linea*, id eſt, ſupra, vel infra, vel ex latere agnatum ſeu cognatum. *Mod.* 45 Juris titulo legitimi ſunt heredes, conjux, conſors, patronus. 46 Hermocrati. 47 *C. Theod. hoc lib. tit.* 8. *l. ult.* ubi extat prolixior, & ex ea multa ſunt hic immutata. 48 Palatini, executores Comitis rerum privatarum &c. Nam ſi quid. 49 *l.* 2. ℑ. *de canone largit. tit. h. lib. tit.* 23. 50 Vacans, cadensque patrimonium. ſic Cicero de Oratore: *poſſeſſio quaſi caduca & vacua.* 51 Al. *caducumque*, ut in *C. Th.* 52 *Et cum*, *in C. Th.* 53 Reclamandi copia, alibi defenſionis facultas. *l.* 3. *ſupr. de jure fiſci.* 54 Al. *deeſt.* 55 Id eſt, deſcriptio ſive inventarium ἀναγραφή. 56 *Vel caduca, in C. Th.* 57 *l.* 3. ℭ. *h. t.* 58 Vacantia bona ſic incorporantur in provinciis, quæ procuratorem Cæſaris non habent: Palatini ſive executores jurejurando obſtricti, a Comite rerum privatarum mittuntur ad Præſides provinciæ, ut præſente fiſci patrono vacantia bona inquirant & deſcribant. Deinde ut, ſi nullus juſtus poſſeſſor fuerit repertus, ea juſſu principis & auctoritate Comitis rerum privatarum incorporentur. 59 Al. *deeſt.* 60 Al. *fiſci.* 61 Et Valentiniano 4. Conſ. *ita ex Chronologia emendat* Rebuff.

62 *Eclog. lib.* 6. *tit.* 1. *c.* 117. & 5. Paulus *ſentent.* 13. 63 Paulus 5. *ſentent.* 13. §. 1. *Omnes*, inquit, *omnino deferre alterum, & cauſam pecuniariam fiſco nuntiare prohibentur. Nec refert, mares iſtud an fœminæ faciant: ſervi, an ingenui, an libertini, an ſuos, an extraneos deferant. Omni enim modo puniuntur.* Ut execrabiles delatores habiti fuerint, vide in *l.* 4. ℑ. *h. t.* Porro deferebantur hæc fiſco, delicta, bona caduca, ereptitia, vacantia, commiſſa, tacita fideicommiſſa, vaga mancipia, theſauri inventio. *Goth.* Idem etiam accuſator dicitur. *l. Senatus. l. deferre.* §. *iidem decreverunt. ff. de jure fiſci,* maxime ſi crimen publicum deferat. *Mod.* 64 Al. *Haterio.* Goth. Vide Peregrin. *de jure fiſci lib.* 2. *tit.* 1. *in pr.* Anſ.

De delatoribus. 411

ſat delatio. His enim prohibetur tacite [1] relinqui [2], qui palam relictum capere non poſſunt. PP. 13. Kal. Maji, MAXIMO II. & ÆLIANO CONSS. 224.

Qui defert ex neceſſitate officii, vel ex præcepto judicis, pœnam delatoris non ſuſtinet. Bart.

2. Imp. GORD. A. Eutychemo [3].

MOnente [4] officii ſollicitudine, quin imo juſſu procuratoris, ut cauſam ab alio delatam convenienti diligentia inſtrueres, non [5] ipſum voluntarium delatoris [6] munus ſuſcepiſſe te actorum [7] lectio, quæ precibus intexta [8] ſunt, manifeſto declarat. Eapropter ne quid in perſona tua quod eſt ſectæ temporum meorum alienum, attentetur, præſes provinciæ Vir Clariſſimus ad ſollicitudinem ſuam revocabit. PP. 8. Id. Sept. PIO & PONTIANO CONSS. 232.

Qui ad defenſionem ſuam alium nominat, non videtur deferre. Bart.

3. Idem A. Chlœlio [9].

NUlla macula vel crimine delatoris aſpergitur is qui cum [10] ab officialibus fundum ſeu domum fiſci poſſidere contenderetur; *non ſe, ſed alium ejus rei poſſeſſorem eſſe* monſtraverit. PP. prid. Kalend. Jul. GORDIAN. A. II. & PONT. CONSS. 242.

Qui venit ad defenſionem reipublicæ, ut delator non punitur. Bart.

4. Imppp. CARUS, CARINUS & NUMERIANUS AAA. [11] Candido.

EX varia ſtatutorum diverſitate ad id decurſum eſt, ut hi, qui Reipublicæ [12] cauſas defendunt, delatorum criminibus non teneantur: cum omnibus notiſſimum ſit [13] eos ſolos [14] execrabiles nunciatores eſſe, qui [15] fiſco deferunt. PP. 3. Kalend. Sept. CARINO & NUMERIANO AA. CONSS. 284.

Delator non admittitur ſine patrono fiſci, & male deferentes ex conſuetudine, graviſſime puniuntur. Bart.

5. Imp. CONSTANTINUS A. ad provinciales [16].

OMnes [17] Judices invigilare præcipimus, delatores [ſine [18] fiſci advocato denunciantes [19]], pœnis adficere: apertiſſimi enim juris eſt, ut quod ex cujusque [20] patrimonio ceciderit [21] in caſum, & legibus & recto juris ordine fiſci advocatis agentibus vindicetur. † Sed quia nonnulli præcipites, ſecundum jus poſſeſſa patrimonia deferre non ceſſant, damus omnibus [licentiam [22]], qui ſe læſos exiſtimant, contra delatores ſeveritatem judicum implorare ferro [23] diſtrictam [24]. Dat. 11. Kalend. April. *Conſtantinop.* CONSTANTIO & ALBINO CONSS. 335.

Servus punitur, ſi dominum deferat, præterquam in crimine læſæ majeſtatis. Bart.

6. Imppp. GRAT. VALENT. & THEOD. AAA. Pallio (al. Panhellevio) Conſulari Lydiæ [25].

SErvum [26] domini delatorem jubemus in exemplum omnium proditorum ſeveriſſimæ ſententiæ [27] ſubjugari, etiamſi objecta probaverit: [excepto [28] crimine majeſtatis [29]]. Dat. 7. Kalend. Novembr. *Conſtantinop.* ANTONIO & SYAGRIO CONSS. 382.

7. Conſtit. pars ex Baſilicis.

NEque [30] ſervo neque libero homini liceat deferre id, ex quo quisquam aut mortem, aut bonorum ſuorum amiſſionem pertimeſcat. Quod ſi quis aliter fecerit, vel ſi propterea quod theſaurum [31] invenerit, deferat quenquam: ſervus quidem ſtatim igni tradatur, maxime ſi dominum ſuum detulerit: liber autem homo bonis ademptis, & civitate amiſſa extra fines Romani imperii abeat.

Pars 8. conſt. ſive ejus epitome ex Baſilicis & verſione Ant. Aug.

NE [32] liceat advocatis fiſci dicere ſibi eſſe relatum detinere quemquam bona ad fiſcum pertinentia, & propter hanc occultam accuſationem inſidias aliis agere: ſed delator adſit, ejusque qualitas conſideretur. §. 1. Et neque [33] filius patrem, vel matrem, aut libertus patronum de rebus fiſcalibus deferat, neque exilium paſſus, aut calumniæ cauſa damnatus, aut fuſtibus a magiſtratu cæſus, aut alius a jure prohibitus audiatur. §. 2. Servus [34] autem ſive in fiſcali cauſa, ſive in alia qualibet dominum accuſaverit, ejus vox in ipſa accuſationis oratione opprimatur, etiamſi vera contra dominum detulerit. §. 3. Schola vero Palatinorum, quæ eſt, poteſt & cogitur delationes facere, aut is cui a jure permittitur, ſi quemquam deferat, patronus fiſci delatoris meminerit. §. 4. Atque ſi eſt in urbe regia is, qui delatus eſt, ex decreto Comitis rerum privatarum conveniatur, neque amplius quatuor nummis toti Palatinorum ſcholæ, & pro tempore Primicerio, atque fiſci advocatis pro citatione aut pro comparitione procuratoris exſolvat. Sed in ſingulis cognitionibus conſtitutas expenſas in jam dicto judicio præbeat, tam pro ipſa cognitione, quam pro actorum conſcriptione. Quod ſi innocens ſit, abſolvatur a petitione: ſi vero obnoxius eſſe videatur, non ea ſolum, quæ habeat, aut debitum, quod debeat, exſolvat, ſed etiam ſumptus, quos fiſcum feciſſe contigerit, in duplum auctos reſtituat, ex quo temere litem ſuſcepit. §. 5. Si vero ſolum bona deferantur, ut ad ſacrum ærarium pertinentia, & ignoretur eorum poſſeſſor, ſint tamen ea intra regiam urbem, aut in ſuburbanis, ſi quidem immobilia fuerint, non eis titulos ſchola Palatinorum imponat, neve ea occupet, ſed comes rerum privatarum Auguſti edicta in [35] celebrioribus regiæ urbis locis proponat, & ubi ea conſiſtunt, quibus permittat cuicunque contradicturo de his rebus intra triginta dies ſuſcipere apud ſe judicium, & cum ſuis rationibus comparere, expenſas ſolvendo ſupradictas, ſive ipſe poſſeſſor bonorum ſit, qui velit ſe opponere, ſive amicus ipſius, aut ſervus, vel libertus, cum abeſt is, qui vere ea bona poſſidet: ea quoque in hoc negotio peragantur, quæ de cuſtode [36] poſſeſſionis conſtituta ſunt. Si vero neque ipſe dominus rei, neque procurator poſſidentis, neque cuſtos poſſeſſionis intra triginta [37] dies appareat, idque actis expreſſum ſit, in poſſeſſionem mittatur fiſcus eorum bonorum ſine præjudicio domini in eis, quæ ipſi competunt, actionibus. Si vero bona delata ipſi mobilia, aut ſe moventia fuerint, non temere ea apprehenduntur: ſed prius perquiratur eorum poſſeſſor; isque conveniatur, & litiget expenſas ſolvendo jam dictas aliaque ſupra ſcripta ſervando. Atqui omnibus legitimis modis & probationibus ſcriptis, & non ſcriptis diſcutiatur de his rebus, & qui ſcire quidquam poſſunt, examinentur.

§. 6. Sciat vero is, qui convenitur, ſe, ſi ſuccubuerit, non ſolum ſumptus in eo judicio factos ſoluturum, ſed & illa, quæ apud ipſum reperiantur, reſtituturum, & eorum adjecturum æſtimationem.

§. 7. Hæc cum generaliter de rebus fiſcalibus conſtitutio ſtatuiſſet, propriam deinceps ſanctionem de publicatis ob crimen læſæ majeſtatis [38] decernit, ut de eo crimine renuncians nullo pacto delator appelletur, ſed recte ſuſcipiatur: & ſi quidem hi nunciatores calumniati fuerint, ut cæteri delatores puniantur: ſi vero vicerint in delatione, non ſolum pœna careant, ſed etiam octavam [39] partem bonorum delatorum accipiant. §. 8. Delati autem, ſi res ab eis poſſeſſæ, vel eorum facultates minores quinquaginta auri libris æſtimabuntur, ejus quantitatis, quæcunque fuerit, fidejuſſores dabunt: ſi vero excedens eam ſummam usque ad quinquaginta easdem libras nihilominus dabunt fidejuſſores, pro reliqua autem quantitate jurabunt, addentes in eadem cautione juratoria ſe adfuturos in judicio ſacrarum privatarum Auguſti, aut per ſeipſos, aut per procuratores, neque id tribunal deſerturos. Si vero poſt id jusjurandum deſerant, ter vocantur denis [40] diebus inter ſingulas vocationes interpoſitis: fient quoque tria proclamata contra eos: & ſi ne tunc quidem veniant, aut ipſi aut eorum procuratores, vel defenſores, poſſeſſionem bonorum ſacer fiſcus apprehendat, abſentibus reſervata eorum defenſione. §. 9. Quod ſi bona delata in provincia ſint, & Præſes provinciæ ſive ſponte ſua, ſive ex juſſione Comitis rerum privatarum Auguſti de cauſa cognoſcat, nihil cum tumultu, aut per vim fiat, ſed expenſæ ſolvendæ ejus judicii tertiam partem earum, quæ in regia urbe ſolvuntur, non excedant. §. 10. Unusquisque autem deferens ſive Comiti rerum divinarum privatarum Auguſti, ſive ſcholæ Palatinorum, ſive clariſſimis fiſci advocatis, ſive etiam clariſſimis Præſidibus provinciarum, noverit ſe, ſive in cauſa perſeveret, & calumniator eſſe detegatur: ſive ab accuſatione deſiſtat, & latitet: ſi mediocres facultates habeat, easque amittere pro nihilo ducat, graviſſimis verberibus caſtigandum & perpetuo fore relegandum. Si vero militiam habeat, vel honeſtum aliquod officium, aut idoneas facultates: excidet tum a militia, tum ab aliis facultatibus, & neque intra urbem regiam, neque in ea provincia habitare permittetur. §. 11. Servabiturque hæc lex tam a Comite privatarum Auguſti quam a ſchola, quæ ſub eo eſt: eamque violans, ob ſingula capita ejus violata quinquaginta auri libras multæ nomine exſolvet. Si vero in provincia eorum aliquid violetur: in ſingulos eventus triginta auri libras tam qui provinciis præſunt, quam ſubjectæ eis cohortes exſolvent. Ne vero quisquam eam multam effugiat, liceat etiam injuria affectis deferre legis transgreſſorem, & renunciare id impune Sacratiſſimo Auguſto, aut glorioſiſſimo magiſtro, ut ea cognoſcens Imperator ipſi magiſtro [41] multarum exactionem committat.

1 Tacite relinqui non poteſt iis, qui palam relictum capere non poſſunt. Tacite capaci relinqui poteſt, non incapaci: hoc enim modo fraus fieri legi: illo non fieri intelligitur. Nam quod palam poſſumus, id etiam poſſumus tacite. 2 Relinquere. 3 Al. *Nicontio.* 4 Deferre fiſco pecuniariam cauſam ſervi fiſcales impune poſſunt: id enim quodammodo ex officio faciunt, non ſua ſponte, *ut hic.* Inde Paul. 5. *ſent.* 13. §. 2. ſervi fiſcales, qui cauſam domino prodere, ac nunciare contendunt, deferre non videntur. adde *l.* 5. §. 13. *ff. de his quæ ut indign.* Goth. Delatorem vero probare oportet ea, quæ intendit. quæ ſi probavit, præmio afficitur, quod ut plurimum videtur olim fuiſſe quarta eorum, quæ delata eſſent, unde & quatruplatorum nomen. Si nec probaverit delator, nec obtinuerit; inter infames & improbos, aliis quibusdam pœnis affectus, numeratur. quibus tamen pœnis non afficiuntur Cæſariani, qui juſſu procuratoris cauſam ab alio delatam inſtruxerunt. idemque eſt in advocato fiſci, *l. poſt legatum.* §. *advocatum. ff. de iis, quæ ut indign.* atque hoc quidem merito, cum hi neque delatores ſint, neque ſua ſponte ad cauſam inſtruendam accedant. *Mod.* 5 Volens non facit, qui ex officio facit. 6 Delationis. 7 Acta precibus inſerebantur. 8 Al. *inſerta.* 9 *Cæcilio*, al. *Crellio.* 10 Delator non eſt, qui ſui defendendi, ac tuendi cauſa, alium denunciat, ſeu defert. v. *l. delator.* 44. *ff. de jure fiſci.* 11 *Perperam antea legebatur*, Philippus A. &c. 12 Delator non eſt, qui Reip. & fiſci cauſam defendit. *l.* 2. *ff. de jure fiſci.* 13 Eſt. 14 Delatoribus nihil eſt in Republica pernicioſius. Synefius in epiſtolis eos vocat κοινοὺς ἀλάςωρας τῆς χώρας. Imperatores, *maximum humanæ vitæ malum*, in *l.* 2. & 10. *C. Theod. de petitionibus & ultro dat.* ideo turpe eſt delatoris nomen, & injuriarum tenetur, qui alium delatorem appellat. *l.* 3. ℭ. *de injuriis.* 15 Delator vere eſt, qui conſequendi præmii cauſa denunciat. 16 *Cod. Theod.* 10. 3. 17 *Eclog. ex tit.* 7. *c.* 5. 18 Deferens bona caduca, ſine fiſci advocato, aut per injuriam, ferro punitur. 19 Incluſa abſunt a *C. Theod.* 20 *Cujuscunque*, in *C. Theod.* 21 Caduca quæ in fiſcum ceciderunt. 22 Abeſt a *C. Theod.* & *quib. lib.* 23 1. Harm. *in fin.* Imo evellitur ei lingua, *l.* 2. *C. Th. de petit. & ultro dat.* Imo tertius delator etiam in bonis cauſis capite punitur. *l.* 12. 13. *l.* 28. *C. Th. eod. tit.* Goth. quod ſcilicet deferendi ſtudium quaſi artem exercere videantur. *Mod.* 24 Omiſſa ſunt hic multa a compoſitoribus. 25 *C. Th.* 10. 10. 17. 26 *Ecl. ex tit.* 7. *c.* 6. 27 Ut ſcilicet igne comburatur. *l. ult.* ℑ. *h. t.* Mod. 28 Delatores dominorum ſervi non audiuntur, excepto crimine majeſtatis, *ut hic:* hinc Paul. 5. *ſentent.* 13. §. 3. Damnati ſervi, ſive poſt ſententiam, ſive ante ſententiam dominorum facinora confeſſi ſunt, nullo modo audiuntur, niſi forte reos deferant majeſtatis. adde *l.* 1. §. *ſi ſervi.* 19. *ff. de quæſtionib. l.* 2. §. *Imperator.* 6. *ff. de jure fiſci. l. pen. ſupr. qui accuſare.* Quinimo ne quidem in majeſtatis crimine ſervos in caput dominorum audiendos cenſuit Tacitus Imperator, *teſte Vopiſco:* nec Trajanus, *Autore Plinio.* 29 Deſunt in *C. Theod.* 30 *Ex collectione Ant. Auguſt.* 31 Delator theſauri inventi non eſt a comite rerum privatarum, vel alio magiſtratu audiendus. 32 Adde *l.* 5. §. *advocatum.* 13. *ff. de his quæ ut indignis.* 33 Adde *l.* 18. *ff. de jure fiſci.* 34 *Ecl. ex tit.* 7. *c.* 8. *l. pen.* ℭ. *qui accuſare.* 35 Proſcriptiones futuræ auctionis, propoſitis libellis in celeberrimis locis fiebant, *ut hic:* & *l. penult. ſupr. de defenſ. civit.* Cicero *pro Quintio. Theoph.* ἐν τοῖς περιφανέσι τῆς πόλεως μέρεσι. quod in alienationibus Eccleſiarum fit per viginti dies propoſito libello, *Novell.* 120. *cap.* 6. *verſ. Poſtquam vero iſta.* 36 *l. ult.* ℭ. *de adquir. poſſeſſ. l. meminerint*, 6. ℭ. *unde vi. l.* 1. ℭ. *ſi per vim vel alio modo.* 37 Bona fiſcalia quæ dicuntur ab alio poſſideri, ſi incertus ſit, & ignotus eorum poſſeſſor, ſtatim non occupantur a fiſco. Dies triginta dantur, intra quos diſceptet de jure ſuo apud Comitem rerum privatarum poſſeſſor, qui ſua intereſſe arbitratur: & ea de re edicta proponuntur juſſu Comitis. Euſtathius *libro de temporib.* 38 Delatoris nomen in crimine majeſtatis metuere nemo debet. 39 Octavæ partis præmium. adde 1. Harm. 5. 40 *l. per intervallum*, 69. *ff. de judiciis. l. properandum*, 13. §. 2. *ſupr. de judiciis*, quod tamen Novella 112. *c.* 3. immutatum eſt. 41 Magiſtrum officiorum innuit.

TIT. XII.
DE PETITIONIBUS [1] BONORUM [2] SUBLATIS.

Bona quæ deferuntur in fiſcum, nemo poteſt ſibi impetrare. Bart.

1. Imppp. GRATIAN. VALENTIN. & THEOD. AAA. Eutropio P. P.

QUiſquis [3] in crimine majeſtatis [4] deprehenſus fuerit, & punitus, bonaque ejus (ſicut plectendi conſuetudo criminis habet) fiſcus invaſerit, nullus eadem ſub ſpecie [5] munificentiæ Principalis audeat proprio jure poſcere: qui contra legem id auſus fuerit ſperare, quod non licet, reus violatæ [6] legis habeatur. † Sed quoniam plerumque ita in nonnullis cauſis inverecunda petentium inhiatione [7] conſtringimur, ut etiam non concedenda tribuamus: nec reſcripto quidem noſtro adverſus formam latæ legis loci aliquid relinquatur. † Si quid autem ex bonis talibus noſtro judicio, nullo tamen deſiderante atque poſcente, concedi cuiquam voluerimus: hujusmodi tantum valeat liberalitas. Dat. 17. Kal. Decembr. *Theſſalonicæ*, GRATIANO V. & THEODOSIO I. AA. CONSS. 380.

Nullus admittitur ad impetrandas res delatas in fiſcum ſive fiſcales. Bart.

2. Impp. THEOD. & VALENT. AA. Florentio P. P. [8].

OMne [9] ſemen alienas appetendi fortunas ſtirpitus eruere cupientes, nulli [10] deinceps volumus petitionis rerum eſſe licentiam. Et ſi inteſtatus [11] quiſquam [quædamve [12]], ac nullis ex numero propinquorum exiſtentibus, vel uxore, vel marito, fati munus impleverit, cujuscunque ſit conditionis aut ſectæ, ſeu quolibet titulo res fuerit fiſcalis, nemo audeat ad petitionem rerum defuncti defunctæve, cujuscunque fortunæ aut ſectæ ſit, ſi [13] fiſco noſtro locus pateat, adſpirare: cum ne illis quidem quorum actu atque officio petitionum procedebat effectus, impune liceat ſanctionibus noſtris adverſari: ſed vir illuſtris quidem cujuscunque temporis Quæſtor [14], ſi oblatæ petitioni ſubſcripſerit, vel etiam reſponſum dederit, virque illuſtris Comes [15] rerum privatarum, ſi vel inſtrui permiſerit, vel petitionem, ſi qua inſinuatur, admiſerit: indignationem noſtri numinis [16] ſuſtinebit, cæteriſque fiet [17] vindictæ & temeritatis exemplum. Memoriales [18] vero qui excipienda hujusmodi reſcripta vel implenda curaverint, & palatinos [19] qui inſtruxerint, vel geſta admiſſæ petitionis ediderint, bonorum proſcriptione, puniri decernimus. Pari forma res [20] etiam civiles, & [21] ad jus publicum pertinentes, ab omni petitione muniendas eſſe cenſemus, ſcilicet nec pragmatica [22] juſſione, vel ſacra adnotatione, vel quolibet oraculo divino ſeu mandatis (ſi qua contra hanc ſanctionem noſtram fuerint impetrata) quippiam [23] roboris habere valituris. Dat. 11. Kal. Maji, THEOD. A. XVIII. & ALBINO CONSS. 444.

TIT. XIII.
DE [24] HIS, QUI SE DEFERUNT.

Gravatus tacite de reſtituendo non capaci, ſi ſe deferat, lucratur tertiam, uxor vero defuncti non capax ſe deferens, lucratur dimidiam: & facta diviſione habebit optionem, occultantes vero legitime puniuntur. Bart.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Maximo Rationali Hiſp. [25].

IS cujus tacitæ fidei commiſſa fuerit hereditas, ſtatim officio Gravitatis tuæ nunciet, & geſta prodat, & continuo [26] quod actum fuerit, renunciet: & poſt hanc fidem, tertiam ex omnibus defuncti bonis percipiat portionem. Quod ſi ab uxore [27] defuncti iſtud ad officium [28] devotionis tuæ fuerit revelatum: ipſa etiam [perſona [29]] quam defunctus eſſe voluit heredem, ſi geſta apparuerint [30], tali præmio mancipetur, ut ex omni patrimonio [31] medium conſequatur, & cum [32] fiſco noſtro celebret diviſionem: Id etiam habitura privilegium, ut prior eligat [33] optionem [34], & tunc occultator ille geſtorum fiſci & mulieris pariter inimicus, exutus omni patrimonio ſuo, ac fiſco vindicato, in inſulam deportetur. Dat. Id. Mart. GALLICANO & BASSO CONSS. 318.

TIT. XIV.
SI LIBERALITATIS IMPERIALIS SOCIUS SINE HEREDE DECESSERIT [35].

1. Imp. CONSTANTINUS [36] A. ad Mygdonium Caſtrenſem Palatii [37].

JUbemus, ut ſi [38] quis forte ex his quibus communiter [39] a nobis aliquid donatum ſit, nullo herede relicto deceſſerit: ad [40] conſortem potius ſolatium, quam ad perſonam aliam pars decedentis perveniat. Dat. [41] 12. Kalend. April. *Antiochiæ*, CONSTANTINO A. IV. & LICINIO IV. CONSS. 316.

TIT. XV.
DE THESAURIS [42].

Quærere theſaurum in proprio omnibus licet, in alieno vero ſuo nomine nullo modo licet. Bart.

1. [43] Imp. LEO A. Eutychio P. P. [44].

NEmo [45] in poſterum ſuper requirendo in ſuo, vel alieno loco theſauro, vel ſuper invento ab alio, vel a ſe, effuſis precibus pietatis noſtræ benignas aures audeat moleſtare.

† Nam in *ſuis* quidem locis unicuique dummodo ſine ſceleratis, ac puniendis ſacrificiis [46], aut alia qualibet arte legibus odioſa theſaurum (id [47] eſt condita ab ignotis dominis tempore vetuſtiori mobilia [48]) quærere, & invento uti, liberam tribuimus facultatem: ne ulterius Dei [49] beneficium invidioſa calumnia perſequatur: ut [50] ſuperfluum [51] ſit hoc precibus poſtulare, quod jam lege permiſſum eſt: & imperatoriæ majeſtatis videatur prævenire [52] liberalitas poſtulanda. † In [53] *alienis* vero terrulis nemo audeat invitis, immo [54] nec volentibus, vel ignorantibus dominis opes abditas ſuo nomine perſcrutari. Quod ſi [55] nobis ſuper hoc aliquis crediderit [eſſe] ſupplicandum, aut præter hujus legis tenorem in alieno loco theſaurum ſcrutatus invenerit, [totum] hoc locorum domino reddere [56] compellatur, & velut temerator legis ſaluberrimæ puniatur. † Quod ſi forte, vel arando [57], vel alias terram alienam colendo, vel quocunquo caſu, non ſtudio perſcrutandi, in alienis locis theſaurum invenerit: id quod repertum fuerit, dimidia retenta, altera dimidia [58] data, cum locorum domino partiatur. Ita enim evenit, ut unusquisque ſuis fruatur, & non inhiet [59] alienis. Dat. 6. Id. Octob. LEONE juniore A. CONS. 474.

TIT. XVI.
DE ANNONIS [60] ET TRIBUTIS [61].

Pars conſt. 1. ex *lib.* 56. *Baſilicorum.*

VAcantes [62] deinceps [63] annonæ, & capitationes a fiſco exigentur, neque [64] a magiſtratibus ſeparabuntur, ut aliis concedantur, aut in publica opera inſumantur ſine ſacra forma, qua & donatio & modus ſumptuum explicetur. Sed neque etiam ex publico [65] canone in privatum, vel publicum opus materiæ arborum transferantur, aut in emptionem materiæ pecunia tribuatur ſine ſacra forma. Qui contravenerit, de ſuo fiſci damnum ſarciat, & competens ſcrinium graviſſimis pœnis ſubjiciatur.

Onus æris alieni eſt perſonale: & ideo inter heredes dividitur pro hereditariis portionibus. Onus annonæ & tributorum eſt reale: & prout quis poſſidet, & fructus percipit, oneratur. Bart.

2. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. & Valerianus [66] C. Antiocho.

1 *Al.* petito, & ita apud Jacobum Rebuffum *hic*: πειτίτα γνώρισμα αἰτήσεως. Suid. Quid ſi ultro, & ut loquuntur practici, *proprio motu* princeps bona proſcripti dederit? utile beneficium principis eſt. vide Cæpolam *cautela* 116. 2 Fiſco delatorum. 3 Ex *lib.* 10. *tit.* 10. *l.* 15. *C. Theod.* 4 Vide *l.* 7. ꝟ. *ad l. Juliam majeſtatis.* 5 *Spe*, in *C. Theod. & vet. lib.* 6 Violatæ legis rei, ſacrilegi: dixi ad *l.* 1. ℑ. *ut dignitatum ordo. l.* 12. *tit.* 8. 7 A lupis ducta metaphora. *Goth.* Vid. Everhard. *conſ.* 31. *n.* 2. Anſ. 8 *Ex Novell. Theod. de competitionibus.* 9 Origo delictorum præcidenda. 10 Vacantia bona, fiſci, Reip. peti a principe non poſſunt: pœna conſtituta in quæſtorem, qui ejusmodi petitioni ſubſcripſerit: Comiti rerum privatarum, ſi inſinuaverit: Memorialibus Quæſtoris, ſi hujusmodi reſcriptum perſcripſerint, aut curaverint perſcribi: Palatinis, ſi eorum interventu apud Comitem rerum privatarum inſtructa, vel inſinuata hujusmodi petitio fuerit. 11 Vacantia bona dicuntur ejus, qui inteſtatus mortuus eſt, nullis propinquis relictis. 12 Al. *deeſt.* al. *quæ quamve.* 13 Al. *ſed.* 14 Quæſtor ſacri palatii petitionibus ſubſcribebat, vel etiam reſponſa reddebat, *ut hic.* His autem verbis ſubſcribebat, *Quæſtor legi hac die.* & hæc ſubſcriptio ſequebatur ſubſcriptionem principis. 15 Comes rerum privatarum, Judex & gubernator privatæ principis ſubſtantiæ, de quo dictum ꝟ. *de officio comitis rerum privatarum & ſupr. de fide & jure haſtæ fiſcalis. l. ult.* ꝟ. *tit. prox.* 16 Nominis. 17 Fient. 18 Memoriales qui, vide ad *l. ult.* ℑ. *de prox. ſacr. ſcr. l.* 12. *tit.* 19. *ubi dixi.* Goth. Ad quæſtorem pertinebant hi, ut Græci interpretantur hoc loco, οἱ ἐν τοῖς ὑπομνήμασι. & *ad l. eos.* ℑ. *de exc. mun.* οἱ τῶν ὑπομνημάτων πάντων. & *ad l.* 5. *qui mil. poſſ.* τῶν κελεύσεων φύλακες, qui leges & reſcripta excipiebant & implebant, id eſt, perſcribebant, aut perſcribi curabant. horumque obſequio res quæſtoria agi dicitur *in l. ult.* ℑ. *de prox. ſacr. ſcr.* 19 Palatinorum interventu petitiones inſinuabantur apud Comitem rerum privatarum. 20 Civiles pecunias rerum publicarum, vel civitatum deputatas annonis civilibus vel operibus publicis, vel ſalariis profeſſorum aut medicorum. *l. quia plurimæ.* 19. ꝟ. *de operibus publicis* (vide Caſſiodor. *lib.* 9. *formula de competitoribus*) principes ipſi quodammodo ſibi vindicabant, & per actores publicorum tributorum tractabant, ſed non boni: ut & colligi poteſt ex *Novell.* 128. *c.* 15. 21 Vel ad. 22 Pragmaticæ, adnotationis, oraculi & mandati differentia. Pragmatica fit ſolenniter de ſententia conſilii, ſuggeſtione aliena, precibus alienis: Adnotatio vero breviter fit adnotato ad libellum principis nomine: Oraculum ſimplex eſt juſſio, ſubnotata a quæſtore ſolo, vel magiſtro ſcriniorum: Mandatum vero citra ſuggeſtionem aut libellum datur. Cujac. *hic.* Goth. Nam ſi ultro non dentur, ſed tacita alicujus competitione, in vitio ſunt, *l.* 1. *ſupr.* Mod. 23 Al. *quodcunque.*

24 *L.* 10. *C. Theod.* 2. *l.* 1. *in pr. ff. de jure fiſci.* 25 *C. Theod. l.* 1. *tit.* 11. *l.* 10. 26 *l.* 13. §. *exſtat.* 5. *ff. de jure fiſci.* Hinc colligunt, deferentem ſe & confitentem mitius puniri. vide Clarum §. *ult. q.* 60. *n.* 26. 27 Uxor enim quoque ex lege Papia decimaria incapax eſt taciti fideicommiſſi: idque firmat *l. ult. in princ. ff. de his, quæ ut ind.* ex conſtitutione tamen *l.* 2. ꝟ. *de infirm. pœn. cæl.* non eſt incapax. *Mod.* 28 *Officio* in *C. Theod.* 29 Abeſt a *C. Theod. & quib. lib.* 30 *Aperuerit* in *C. Theod.* id eſt, ſe ipſam detulerit. *l.* 16. *ff. de jure fiſci.* 31 *l.* 13. *in pr. l.* 15. *in fin. ff. de jure fiſci.* 32 *Eam*, in *C. Theod.* al. *eum.* 33 Fœminæ in diviſionibus optionem dari hinc notant: quod paſſim nec obtinet, nec ſervatur. 34 Legendum *portionem* ut in *C. Theod.* Cont.

35 In *C. Theod. lib.* 10. *tit.* 14. inſcribitur, *Si petitionis ſocius*, Cont. Verum id ita mutavit Juſtinianus, aut potius Tribonianus, quod petitiones non liberalitates ſint ſublatæ. 36 Alias Conſtantius Orioni Com. R. P. 37 Ex *C. Theod.* 10. 14. 1. & 2. Cont. 38 Si duobus princeps res aliquas donaverit, & alter ex ipſis abſque herede deceſſerit, pars ejus alteri adcreſcit. *Synopſ. Baſil.* 47. *tit.* 3. *ex lib.* 56. *tit.* 7. *c.* 15. & 1. Harmenop. 1. §. 18. 39 *Qui communi nomine donatum aliquid a noſtra impetraverunt clementia &c.* in *C. Theod.* quam vide & conſ. 40 Donatum ab imperatore pluribus, ſi qui ex iis deceſſerint nullo herede relicto, ſolidum fit ſuperſtitis, excluſo fiſco, *ut hic.* Et tamen in feudo aliud admiſſum. Nam ſi duo fratres ſimul feudum adquiſierint, ſuperſtes frater defuncto fratri non ſuccedet. 1 *Feud.* 1 §. 2. *verſ. ſin autem.* & 2. *Feud.* 12. Cur tam varie? Hæc lex ad meras liberalitates refertur, quæ ad donatorem numquam recurrunt: Feudi liberalitas non certis modis eſt mera, quia ad dominum recurrit, multaque ex feudo jura, & commoda dominus habet. *Goth.* Vid. Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib.* 2. *c.* 16. *n.* 26. Petr. Heig. *part.* 1. *quæſt.* 13. *n.* 64. 65. Anſ. 41 15. *Kal. Jul. Mediolani Philippo, & Sallia Conſſ. C. Theod.*

42 Vid. quæ ſcripſi ad Novellam Leonis 51. §. *theſauros.* 39. *Inſt. de rerum diviſ.* Forn. 2. *ſelect.* 62. 43 Al. *Impp. Leo & Zeno Epinico Conſulari.* 44 Al. *Zeno & Leo Auguſti Epinico Conſſ.* 45 Hæc lex corrigit eam, quæ eſt in *C. Theod. eod. tit.* quæ *quartam tantum inventori tribuit.* Cont. 46 Sacrificiis factis theſaurum quærere non licet. vide quæ notavi ad *l.* 1. ꝟ. *de paganis, & ſacrificiis. l.* 13. *D. ad l. Corn. de ſicar.* Modos quærendi refert Wierus 9. *c.* 10. 47 Theſaurus eſt condita ab ignoratis dominis tempore vetuſtiori pecunia, *ut hic:* adde *l.* 31. *in fin. ff. de adq. rer. dom.* Caſſiod. 48 *Monilia*, in *C. Theod.* 49 Theſaurus Dei beneficium, *ut hic.* Fortunæ donum. *l.* 63. §. 1. *ff. de adquir. rer. dom.* 50 Al. *cum.* 51 Superflue a principe petitur, quod jure permittitur. 52 Al. *pervenire.* 53 Theſauri inveniendi cauſa nemini licet agrum alienum invito domino ingredi, *ut hic:* Et tamen Lapidicinam aut metalla poſſum, eo invito, in ejus fundo quærere. *l.* 3. *l. quosdam.* 6. ℑ. *de metallariis. l.* 11. *tit.* 6. Cur tam varie? Publica utilitas metalli inventione continetur, theſauri Privata: adde Corſetum *ſingulari expenſa: l.* 16. *ff. de ſervit. ruſt. præd. l.* 3. §. *plane. ff. de adqu. rer. dom.* §. *plane. Inſtit. de rerum diviſ.* 54 Legendum, *id eſt*, *nec volentibus.* 55 Reſcripto etiam principis nemo in alieno theſaurum quærere poteſt. 56 Cedere. 57 Theſaurus arando repertus in alieno fundo pro dimidia parte fit inventoris: pro altera fundi domini. adde Forner. 2. *ſelect.* 26. adde *l.* 63. §. *quod ſi creditor.* 4. *ff. de adq. rerum dom.* 58 Quid opus fuit hac conſtitutione, cum jam id eſſet ab Adriano diſerte ſic ſtatutum? ideo opus fuit, quod dimidiam loci domino ab Adriano conceſſam Imppp. Gratianus, Valent. & Theod. redegerant ad quartam, *l.* 2. *C. Theod. de Theſauris.* Vid. & *Nov.* 51. *Leonis*, & adi Forcatulum *Necyomant. dialog.* 56. Mod. 59 Immineat. 60 Equis, veſtibus. 61 Annonæ in ſpeciebus conſiſtunt, veluti frumento, vino &c. Tributa in corporibus, veluti auro, argento, ære &c. Cujac. 62 Vacantes annonæ ſunt annonæ magiſtratuum defunctorum ſine ſucceſſore: cujusmodi annonæ, ut & cætera bona vacantia, ad fiſcum legibus caducis redibant. *l.* 1. *C. Theod. de annonis civilibus.* 63 *Ex collectione Ant. Aug.* 64 Vacantes annonas (de quibus paulo ſupra diximus) magiſtratus non poſſunt ſine ſacra forma fiſco præcipere, & vel aliis, vel operibus publicis addicere. 65 Fiſcalis canonis materiam vel pecuniam judex non poteſt in ulla opera etiam publica transferre. 66 Al. *Imp. Decius A. C. Titio.*

Æs

ÆS [1] quidem alienum pro portione, ex qua quisque [2] defuncto heres extiterit, præſtari oportet: annonas autem is ſolvere debet, qui poſſeſſiones tenet & fructus percipit. PP. SECULARE & DONATO CONSS. 261.

Ad onera realia non tenetur quis in plus quam de re poſſideat. Bart.

3. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Herennio.

INdictiones [3] non perſonis, ſed rebus indici ſolent: & ideo ne ultra [4] modum earundem poſſeſſionum quas poſſides, conveniaris, Præſes provinciæ proſpiciet. Datum PP. 17. Kalend. Novemb. ÆMILIANO & AQUILINO CONSS. 286.

Omnes debent ſolvere quod princeps imponit, & officiales non poſſunt augere vel diminuere. Bart.

4. Imp. CONSTANT. A. ad Proculianum.

OMnes [5] penſitare debebunt, quæ manus noſtræ delegationibus [6] adſcribuntur, nihil amplius exigendi [vel remittendi poteſtatem eſſe [7].] Nam ſi quis Vicarius [8], aut Rector provinciæ aliquid jam cuiquam crediderit remittendum: quod alii remiſerit, de propriis dare facultatibus compelletur. Dat. 15. Kal. Jul. CONSTANTINO A. IV. & LICINIO IV. CONSS. 315.

Omnes coguntur ſolvere publicas functiones, cum non ſit munus extraordinarium. Bart.

5. Imp. CONST. A. ad Vranium.

OMnes [9] omnino ad oblationem [10] functionum publicarum [11] oportet urgeri. Lege enim noſtra ſignatum eſt, *nec eſſe extraordinaria* [12], *nec vocari quæ ſolenniter* [13] *a provincialibus devotiſſimis conferenda ſunt.* Dat. 3. Non. Febr. CONSTANTIO A. II. & CONSTANTE CONSS. 339.

Qui plus fructus colligit, plus ſolvit, qui minus, minus. Bart.

6. Impp. VALENTIN. & VALENS AA. ad Dracontium Vic. Africæ [14].

PRo [15] locis [16] ac proximitate poſſeſſionum annonam ad limites [17] transvehi præcipimus. Dat. 15. Kal. Jul. *Mediolani*, VALENTIN. & VALENTE AA. CONSS. 365.

Reſcriptum, in quo immunitas conceditur a muneribus ordinariis, non valet. Bart.

7. Imppp. GRAT. VALENTIN. & THEOD. AAA. ad Principium P. P. [18].

IN [19] fraudem annonariæ rei ac devotionis publicæ elicitum damnabili ſurreptione reſcriptum [20], manifeſtum eſt, jure [21] non poſſe vires ſortiri. Circa omnes igitur par atque æqualis illationis forma teneatur [22]. Dat. 8. Kal. Octobr. *Aquil.* ARCAD. A. I. & BAUTONE CONSS. 385.

Ad operandum vel portandum non debet quis longius mitti: ſed debet ratio itineris adhiberi. Bart.

8. Imppp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA. Cynegio P. P. [23].

NEmo poſſeſſorum ad inſtruendas manſiones [24] vel conferendas ſpecies [25] longius [26] delegetur: ſed omnes [27] itineris ac neceſſitatis habita ratione [delegentur [28]]. Dat. 10. Kal. Jan. *Conſtantinop.* ARCAD. A. I. & BAUTONE CONSS. 385.

Non eſt faciendum id, in quo plus expenditur, quam de commodo percipitur. Bart.

9. Iidem AAA. Cynegio P. P. [29].

MEditerraneæ [30] civitates ante [31] a maritimis, & maritimæ [32] [a [33]] mediterraneis onerabantur expenſis, ut plus [34] haberet diſpendii translatio, quam devotionis illatio. Hoc non ſolum in præſens, verum etiam in poſterum prohibemus, ea lege ut ſe ultimo noverint ſupplicio puniendos qui iſta commiſerint [35]. Dat. 3. Non. Septembr. *Valentiæ*, HONORIO NB. P. & EVODIO CONSS. 386.

Si utiliter dominus intra tempus hic ſtatutum non ſolverit tributa, dominio privatur, & ad habentem directum dominium revertitur. Bart.

10. Impp. ARCAD. & HONOR. AA. Minervio Com. R. P. [36].

OBſiſtere [37] commodis publicis & ſtatutis [38] neceſſitatibus non poſſunt privilegia dignitatum [39]. Unde ut quisque de prædiis [40] emolumentum conſequitur, ſi non is evoluto anni ſpatio intra ſex [41] menſes omnem, cui eſſe conſtrictus dicitur, reliquorum intulerit cumulum [42]: ad ipſos, qui ſunt domini prædii, exactionem volumus pertinere. PP. in programmate Vari viri clariſſimi urbis Romæ, HONORIO A. IV. & EUTYCHIANO CONSS. 398.

Judicibus negligentibus totum ſalarium aufertur. Bart.

11. Iidem AA. Eutychiano [43] P. P.

JUdices [44], quos [45] circa profliganda ærarii [46] noſtri compendia negligentes ac deſides fuiſſe conſtiterit: omnia, quæ in adminiſtratione poſiti perceperunt emolumenta [47], reddere compellantur. Dat. 3. [48] Kalend. Mart. *Mediolani*, VINCENTIO & FRAVITTA CONSS. 401.

12. Imp. THEOD. A. Iſidoro P. P. Illyrici [49].

ID ab unaquaque [50] provincia cenſemus expetendum quod ab iisdem nuper eſſe promiſſum tua Sublimitas indicavit. Nullus vero [51] de cætero ad poſſeſſiones eorum (quod maxime formidant) inſpector [52] accedat. Macedonum reliqui exemplum ſecuti, mediæ quantitatis, ut obtuliſſe noſcuntur, tributa ſuſcipiant. Sed & hi [53], qui proteſtati ſunt nihil a ſe ultra tertiam partem poſſe conferri [54], illud exolvant, ad quod ſe indubitanter fore idoneos pollicentur. Quæ diſpoſitio in perpetuum obſervabitur [55], ſacroſancta Theſſalonicenſis [56] Eccleſia civitatis excepta: ita tamen, ut aperte ſciat propriæ tantummodo capitationis [57] modum beneficio mei numinis ſublevandum: nec [58] externorum gravamine tributorum rempublicam eccleſiaſtici nominis abuſione lædendam. Dat. 6. Id. Octobr. *Conſtantinop.* VICTORE V. C. CONS. 424.

13. Imp. ANASTASIUS Anthemio P. P.

SI provincia vel civitas *relevationem* [59] *petat animalis* [60] *functionis*, vel [*inſpectorem aut peræquatorem*, referatur petitio ad principem ejusque arbitrio idoneus mittatur, prius jurejurando præſtito: ex cujus tamen relatione facta præfectis prætorio non aliter forma ulla detur, quam ſi præfecti ea omnia, quæ ab eo didicerunt & quæſierunt, principem edocuerint, atque ita ſacra proferatur forma modis omnibus obſervanda. † Privati [61] autem iis de rebus preces ne porrigant. † Nec relevatio vel deminutio perpetuo, vel ad tempus, nec inſpectio, nec peræquatio fiat aliter, quam ex ſcripta juſſione principis. Sed neque præfecti delegationes faciant pro tempore præcedenti, neque annonas, vel pecunias quibusdam ſeorſim addicant, non præſtitas initio, vel poſtea defectas cauſæ præſtationis accipientiumve corporum defectu: verum hæc omnia fiant ex ſola auctoritate principis ſcripto comprehenſa: quod qui non obſervarint, & data, & omne damnum, quod fiſcus ſenſerit, ei de ſuo reſarcient. Is etiam, qui debitoribus fiſci dederit dilationes, præſcripſeritve terminos alios quam legitimos ſua auctoritate ſine juſſione principis, quæ debentur fiſco, de ſuis facultatibus exſolvat. Sed neque pecunias civiles fiſco inferendas, vel civitatibus deputandas, in alios uſus transferat, vel quibusdam perſonis deputet ſine auctoritate principis. Et officium præfectorum niſi omnia, quæ conſtitutione continentur, obſervaverit, inſtruxeritque præfectos & præſides provinciarum, obſequentiaque illis officia, & cæteri, qui res fiſcales tractant, niſi iis juſſionibus [62] paruerint, fiſco contingens damnum de ſuis facultatibus præſtabunt, & legis contemptores quinquaginta lib. auri multabuntur. † Tripertito autem omnia fiſcalia inferantur, ea etiam, quæ Armeniaca vocant, videlicet Kalendis Januariis, & Kalendis Majis, & ad finem indictionis, in tres æquas partes diviſa, nulla in medio collatoribus innovatione facienda. Quia vero Armeniacorum tributorum præſtatio duobus penſioni-

1 In hereditate defuncti hæc duo quoties occurrunt, nempe æs alienum & annonæ publicæ, toties æs alienum ab heredibus omnibus pro partibus hereditariis præſtandum, idque ex lege 12. Tabular. Annonæ autem præſtandæ ab eo, qui poſſeſſiones ipſas tenet, & fructus percipit, *ut hic*, & *l.* 36. *ff. de jur. fiſc.* hoc ideo, quod æs alienum, perſonarum, annonæ, rerum onus ſint. *Goth.* Et prædiorum obligationes inter heredes non dividuntur, perſonales dividuntur. adde *l. Imperatores*, 7. *ff. de publicanis.* Mod. 2 Unusquisque. 3 Τὰ δημόσια τέλη &c. Tributa publica, non perſonis, ſed rebus indicuntur. Operam itaque dare præſidem provinciæ convenit, ne quisquam eorum nomine, quæ non poſſidet, conferat. 56. *Eclog.* 8. *c.* 3. De Indictionibus vide infra titulum *de Indictionibus.* Goth. *Indictionis* nomine continentur tam annonaria quam tributaria functio. *Mod.* 4 Tributa & collectæ imponuntur pro quantitate patrimonii, & facultate uniuscujusque poſſeſſoris, & ſic per æs & libram. Rolandus a Vall. 1. *conſ.* 66. *num.* 15. 5 *Cod. Theod.* 11. *tit.* 1. *l.* 1. §. *ideoque omnes penſitare.* 6 Tributorum & annonarum modus manat a principe: ideoque neque plus, neque minus iis exigi debet a Vicariis Præfecti prætorio, aut præſidibus. adde *l.* 3. §. *illud. infr. de canone largitionalium tit. h. lib. tit.* 23. Goth. Suidas δηλεγατίων κατὰ Ῥωμαίοις ἡ ἐκταγὴ τοῦ σιτομπείου, καὶ ἡ ἀννόνων μετακομιδή. Sunt igitur *delegationes* deſcriptiones, quibus exigendorum tributorum, & annonarum modus continetur, quæ & *delegatoriæ* dicuntur, quod delegari mittique in provincias ſolent. *Mod.* 7 Incluſa abſunt a *C. Theod. & lib. quib. veter.* eaque delenda eſſe exiſtimat Cujac. 8 *Vicarii* hi erant præfectorum prætorio, dixi ad *l.* 1. §. 4. *ff. de legat.* 3. 9 *l.* 1. ℑ. *de imm. nemini concedenda. h. lib. tit.* 25. 10 *l.* 5. *C. Theod. hoc tit.* 11 *Oblationem pecuniarum*, in *Cod. Theod.* 12 Extraordinaria munera vocantur, quæ non ſunt ſolennia, id eſt, conſueta ſeu conferri ſolita. 13 *Specialiter*, in *C. Theod.* 14 *l.* 11. *C. Theod. hoc tit.* 15 Annonæ militaris conferendæ & transferendæ ad limites onus, proximis poſſeſſoribus imponi debet. *l.* 8. ℑ. *h. t. l.* 4. *infr. de erogat. militaris annonæ. l.* 12. *tit.* 38. 16 *Loco*, in *C. Theod.* 17 Al. *limitem*, ut in *C. Theod.* 18 *l.* 20. *Cod. Theod. h. t.* 19 Qui in fraudem commodorum publicorum a principibus reſcriptum impetraverit, nullum ex eo ſentiat emolumentum. Omnes enim publico conferre debent. *Synopſ. Baſil. l.* 54. *tit.* 7. & *l.* 56. *tit.* 8. *cap.* 7. 20 Reſcriptum impetratum, ut ne quis tributum ſolvat, nullius eſt momenti: eſt enim adverſus utilitatem publicam. 21 Al. *deeſt.* 22 Teneat. 23 *l.* 21. *C. Theod. h. t.* 24 Manſiones quid, vide in *l.* 2. ℑ. *de lucris advocat. ubi dixi. l.* 12. *tit.* 62. Goth. *Manſiones* vocant ἀλλαγὰς ſive diverſoria, in quæ ſe recipiunt milites expeditionis tempore, vel etiam ſacer comitatus. Poſteriores *Manſus* dixere. Utrumque a manendo, & inde *Manentes* in hiſtoria Helmodii, & Gallis *maiſons.* Villæ ſic poſſunt appellari; Clementi in Petro συστήματα. ſeparantur autem a civitatibus & oppidis *in l.* 9. *C. Th. hoc tit. l.* 2. ℑ. *de cond. in publ. horr. l. modios.* ℑ. *de ſuſcept. l. Claudiopolis. C. Th. de decur.* manſiones porro hæ annonis & pabulis inſtruebantur ex collatione vicinorum, non ex collatione eorum, qui procul disjuncti erant. *Mod.* 25 Hic omiſſum eſt aliquid, quod legitur in *C. Theod.* 26 *l.* 6. ꝟ. *h. t. l.* 9. ℑ. *h. t. l.* 2. ℑ. *de privilegiis domus Auguſtæ.* 27 *Omnis*, in *C. Th.* 28 Abeſt a *C. Th.* 29 *l.* 22. *C. Theod.* 30 Mediterraneæ civitates, a mari & fluminibus remotæ. Cicero *Verrina de ſuppliciis.* Centuripinos homines maxime mediterraneos: quibus opponuntur maritimæ & ripenſes, mari & fluminibus propinquæ. 31 *Antea*, *uno verb. in C. Theod. & quib. manu.* 32 Tributa collata a mediterraneis civitatibus, non transferunt maritimæ, aut ripenſes & e contra: juſte: ut quorum ſit collatio, eorundem ſit transvectio. adde *l.* 8. *ſupr. h. t.* & breviter translatio tributorum, quæ plus habet diſpendii, quam lucri, vitanda eſt. 33 Deeſt a *C. Th. & quib. lib.* 34 Expenſa non admittitur, quæ rem ipſam abſorbet. adde Corſetum *ſingulari expenſæ.* 35 *Dat.* 3. *Non. Sept. Valentiæ, Honorio N. P. & Euodio Conſſ.* 36 *Cod. Theod. h. t. l.* 25. 37 Nemo privilegium dignitatis prætexens non conferat: ſed omnes pro eorum, quæ poſſident, prædiorum rata, penſiones ſolvant. *Synopſ. d. l.* 54. *cap.* 10. & *dict. l.* 56. *tit.* 8. *cap.* 10. 38 Statutæ neceſſitates, canonicæ & ordinariæ. 39 Dignitas non excuſat a muneribus, ſeu tributis ordinariis. *l.* 4. ℑ. *de exact. trib. h. lib. tit.* 19. *l.* 3. ꝟ. *de epiſc. & cler.* 40 *In Cod. Theod. deeſt* de, & *legitur* prædii. 41 Tributa non ſolvente colono, vel emphyteuticario, uti oportet, dominus prædii, etiamſi in dignitate poſitus ſit, convenitur, non quidem ſtatim: ſed poſt ſex menſes ab anno, cujus indictiones colonus debet. 42 Vid. *l.* 13. ℑ. *de omni agro deſert. l.* 11. *tit.* 58. 43 Adriano. 44 Id eſt, præſides. *Goth.* Quorum munus eſt tributorum exactioni incumbere, *l. in fiſcalib.* ℑ. *de exact. trib. Novell.* 161. Idem & Catholicorum munus eſt, & ex Conſtitutione Auguſti jam ab initio Proconſulum Dio 53. τοὺς φόρους οἱ ἀνθύπατοι παρ᾽ ὧν ἄρχουσιν ἐσπράττουσιν. Mod. 45 Vid. *l.* 6. ℑ. *de exactorib. trib. h. lib. tit.* 19. 46 Ærarii compendia appellat annonas & tributa. 47 In tributis exigendis negligens provinciæ præſes, ſalaria ſua amittit. hic enim emolumenta, nihil aliud quam annonæ, & capita. *l.* 6. ℑ. *de cenſib. l.* 11. *tit.* 57. 48 *Al.* XIII. 49 *Ex hoc tit. l.* 33. *C. Theod.* De duplici Illyrico orientali & occidentali, vid. Cujac. *hic.* 50 Tributum a quaque provincia promiſſum, ita ab ea præſtandum eſt, ut promiſſum eſt. 51 *Ut vero nullus*, in *Cod. Theod.* 52 Inſpectores hi peræquatores: quorum munus tributa adæquare. 53 Vet. *Achivi*, quod legiſſe videtur Accurſ. & ſic legitur in *C. Theod.* 54 Conferre. 55 *Obſervanda*, in *C. Theod.* ex quo hic quædam detracta ſunt. 56 Vid. *l.* 8. ꝟ. *de ſacroſ. eccleſ.* 57 Al. *cautionis.* 58 Tributorum vitandorum cauſa non licet abuti nomine eccleſiæ. vid. *l.* 1. ℑ. *de collegiat. l.* 11. *tit.* 17. 59 Capitationis relevatio fit a nullo alio, quam principe. Eſt vero relevatio κουφισμός. 60 Animalis functio pecunia pro capite. dixi ad *l.* 23. *in fin.* ℑ. *de agric. & cenſit. l.* 11. *tit.* 47. 61 Capitationis relevationem a principe privatus petere non poteſt: Respublica vel provincia poteſt. 62 Ἐκταγαῖς. Sunt autem ἐκταγαὶ diſpoſitiones P. Prætorio, ut *l. ult. infr. de exact. tribut. h. lib. tit.* 19.

bus